

1

NOBILIBVS, ERVDITIONE AC VIRTUTE

VIRIS ORNATISSIMIS, FVGGERIS, ANTONIO NATV SE-
niori, ac fratris sui P. M. Reimundi filijs, Ioanni Iacobo, Georgio, Christophoro,
Vdalrico, & Reimundo, fratribus, Kirchpergæ & Vuciffenhorni
dominis, Mœcenatibus suis perpetuò colendissimis,
IOANNES SCHEVBELIVS S.



VM inter liberalia studia, quæ à liberis & inge-
nuiis hominibus disci debent, Geometria etiam
numerari meruerit, Euclidis uerò, *μαθηματικὴν
ἐγγύμνησον καὶ κορυφαίαν*, geometria in omnibus fe-
re publicis scholis proponi cōsueuerit, quo illam
laudatissimam consuetudinem meo etiam conatu
iuuarem, cum omnes ipsius libros uno tempore
tradere, propter multa impedimenta, difficile sit,
priors sex, tanquam potiores, unà cum Algebrae regulis, ad hos summè
necessarijs, demonstrandos & declarandos suscepimus. At quoniam hic
noster tradendi modus ab aliorum traditionibus non nihil uariat, huius
diuersitatis causam, post expositam à nobis geometricæ originē & usum,
declarabimus. Cum Nilus Ægypti fluius, ut author est Strabo, lon-
ge latec̄q̄ augescēs, se diffunderet, atq̄ sua exundatione deinde agrorum
limites in illa uicinia ita turbaret, ut decrecente, & in suum se alueum re-
colligente aqua, limites & termini diluuiò confusi submouerentur prio-
ribus finibus, quibus designandis significandisc̄q̄ erant constituti, euenie-
bat sanè ut nullus sui fundi, nec locum nec quantitatem certò assignare
posset. Quamobrem ne contentiones inter uicinos orirentur, sed potius
ut uera & iusta distributione suum quisq̄ fundum integrum reciperet,
ab Ægyptijs, propter summam necessitatem & commoditatem, quam
experiebantur metiendis agris, Geometria inuenta est: quemadmo-
dum Phœnices, propter negociationem, Numerorum scientiam primò
repperisse dicuntur. Hanc ab Ægyptijs acceptam Græci postea omni stu-
dio & diligentia excoluerunt. Non ideo tantum, ut hac in ædificando
aut reliquis artibus mechanicis, magno suo cōmodo uterentur: sed mul-
to magis, ut liberos suos ad philosophiam, omnesq̄ uitæ partes præpa-
rarent, ad quas res mensurarum cognitio non leuiter conduceret. Nam
primùm quid quæso, in ulla parte philosophiæ sine demonstrandi scien-
tia rectè cognosci potest, aut percipi? At demonstrationum doctrinæ,
incredibile est, quantum lucis afferant exempla geometrica, quæ sine con-
trouersia sunt omnium maximè & ad docendum, & ad intelligendum
illustria & expedita. In oculos namq̄ incurrunt, & ad manifestas menti
nostræ rationes referuntur. Deinde constat ex hac ipsa mensurarum no-
ticia, non demonstrationes tantum longè plurimas, ad doctrinam de na-
tura rerum illustrandam passim accommodatas, sed huius ipsius etiam